

sine idea fiunt, substantiales quoque formas fieri sine idea posse, nullo enim recto syllogismo id concludetur.

Esto concludatur accidentalium formarum ideas esse negat Aristoteles. Plato eodem loco fatetur accidentium formas esse:  
5 nam et pulchrum, quod in conclusione attulimus accidens est et magnitudo et parvitas, quas ibi pro exemplis adducit et alibi aequale, simile, bonum, iustum et multa eiusdem generis, quae omnia accidentia sunt. Si dicat Aristoteles, haec naturalia ac morum accidentia sunt, domus et annulus artificiales sunt atque sine  
10 ideis fiunt, assero haec quidem traditione sua, sine idea fiunt. Nam libro De ente 5. capite 7. triplices opifices constituit:<sup>25</sup> *Omnes vero factiones sunt vel ab arte vel a potentia vel a dianoea.* Declarat mox:<sup>26</sup> *Ab arte sunt, quorum forma est in anima.* Deinde concludens:<sup>27</sup> [328] *Itaque accedit quodam modo sanitatem ex sanitate fieri et*  
15 *domum ex domo, ea quae sine materia, illa habens materiam. Medicina enim est et aedificatoria forma sanitatis et domus. Dico autem substantiam absque materia quod quid erat esse.*

Nonne haec sanitas, domus quae sine materia est, in anima scilicet artificis idea quaedam est per participationem aut imitationem aut similitudinem, cuius domus et sanitas materialis fit.  
20 Ac sicuti haec ab illa fit, ita naturae res ac formae in materia in generantur per gradus a natura, ab anima, a mente opifice non aliter per varia instrumenta descendens, quam ab artificis mente domus in lateres ac reliquam materiam mediis variis organis descendit.

Sed operae precium fuerit pauca de ideis exponere, quo nobis ad Aristotelicas oppugnationes inserviant. Fuit ergo ante Aristotelem Platonis, Pythagoreorum Pythagoreaeque, Orphei, Aegyptiorum ac Chaldaeorum commune dogma hoc: *Deum su-*

<sup>25</sup> πᾶσαι δ' εἰσὶν αἱ ποιήσεις, ἢ ἀπὸ τέχνης, ἢ ἀπὸ δυνάμεως, ἢ ἀπὸ διανοίας. [ARIST. Metaph. 1032a.27 – 28]

<sup>26</sup> ἀπὸ τέχνης δὲ γίνεται ὅσων [ῶν] τὸ εἶδος ἐν τῇ ψυχῇ. [ARIST. Metaph. 1032a.32 – b.1]

<sup>27</sup> ὥστε συμβαίνει τρόπον τινὰ {τὴν} ύγιειαν ἐξ ύγιείας γίνεσθαι καὶ τὴν οἰκίαν ἐξ οἰκίας, τῆς ἄνευ ὑλῆς, τὴν ἔχουσαν ὑλην, ἡ γὰρ ιατρική ἐστι καὶ ή οἰκοδομική τὸ εἶδος τῆς ύγιείας καὶ τῆς οἰκίας. λέγω δ' οὐσίαν ἄνευ ὑλῆς τὸ τι ἦν εἶναι. [ARIST. Metaph. 1032b.11 – 14]